

Regis legato, qui Suleimanum Byzantium comitatus fuerat, certior factus; ut quamprimum suspicionum semina, quæ aliquando in Reipublicæ perniciem eruptura forent, ex illius mente evelleret, legatum Byzantium mittendum censuit, qui pacem cum Cæsare initam significaret; veterem cum Ottomanis amicitiam colere sibi constitutum esse affirmaret; optantibus Turcis, denuo pacis condiciones firmari, iis subscribere ne detrectaret. Vigebat fane in Suleimano ingens animus, ut omnem fere barbariem exuisse videretur; in Rempublicam mira propensio, quam quidem sæpius haud obscuris argumentis declaraverat. Primum enim Hibrainum oratorem Venetias miserat, ut de iis, quæ in Pannoniis gesserat, Senatum doceret, Joannemque Sepusianum, amicum Reipublicæ, regio titulo decoratum, Hungariæ præfecisse nuntiaret; ac paulo post Cussaino nuntio mandaverat, ut Venetias profectus significaret, statuisse Suleimanum quatuor suos filios circumcidere, ut qui iis solemnibus interessent oratores Senatus mitteret. Thomas Mocenicus legatus designatus est; Petro Zeno ordinario legato Franciscus Barbarus suffectus, qui statim itineri se committere. Cum eodem tempore sacrum in Turcas bellum a Pontifice promulgatum esset, cuius jussu e suggestis concionatores vehementissimis orationibus populorum animos concitabant, ut pecuniam in belli adversus Christianæ religionis hostes sumptibus erogandam affatim, & liberaliter tribuerent: ea res magis suspectos Venetos Suleimano reddiderat, ne, communi cum reliquis Principibus fœdere icto, adversus ipsum conspirarent; præcipue cum ex Bononiensis pacis conditionibus non exiguam pecuniæ vim Cæsari pendissent, neque unquam de concordia ineunda illum certior fecissent. Poterant hæc Suleimani animum a Republica alienare, ni legati supervenissent, a quibus veteribus conditionibus pax denuo instaurata, ac firmata fuit. Legati ludis, & spectaculis interfuere, quæ pro initiandis Suleimani filiis maxima pompa, magnificentissimo, ac regio apparatu exhibita fuere; summis honoribus a Rege, atque a purpuratis culti; & multis, iisque pretiosis donis, quæ de more gentis Reipublicæ nomine Turcarum Imperatori dedere, illustriori legatione reddita: inter hæc ingentis pretij, ac pulchritudinis rhinocerotis cornu mirum in modum Regi gratum extitit.

1530.

*Hibrainus  
Suleimani  
orator ad  
Venetos.*

*Cussainus  
Suleimani  
orator missionem Veneti oratoris postulat.  
Thomas  
Mocenicus  
legatus ad  
Suleimani  
designatus.*

In-